



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Confirmations Sacramentum non esse negligendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Iovvoldi c. 11. & Sir. tom. 4. die 1. Augusti. quàm res posceret, accepisse, atque illud ipsum, in itinere amississe, mirabili Dei artificio, parum auferentis; vt multum redderet. Itaque Episcopo pueros puellasque (neque enim in virilem aut senilem ætatem tunc sacramentum istud differebant) confirmare volente, neque habente Clerico sacri olei ampullam, turbatio magna extitit. Anxius Clericus viam iisdem vestigijs, recalcat, recurritque eò, vnde venerat. Dum, oculis huc, illuc, curiosè missis, rem perditam indagat, reperit ampullam in via iacentem, insigni auctu locupletatam. Nam, quæ antè nec media sui parte plena fuerat, iam oleo sacro, vsque ad summum marginem referta, toti multitudini sufficiebat, ad petitum Confirmationis Sacramentum suscipiendum. Igitur, qui mulieri Sarephtanæ, per Eliam, dixit: *Hydria farine non deficiet, nec lectus olei minuetur*, ille etiam, ad spiritualem vsum, oleo addidit incrementum.

IX. Is ergo inuocandus est, qui nouit elicere *mel de petra, oleumque de saxo durissimo*; siue id ad corporis sustentationem requiratur, siue ad animæ salutem. Fatuis Virginibus similes sunt, qui non ad Deum, sed ad homines dicunt: *Date nobis de oleo vestro*. Quod sanè faciunt, quicumque non negligunt oleum, quo cibos condiant, aut corporis leniant tubera & cruciatus; at de sacro oleo, quo animam in fide confirmant, nihil omnino curant. Hinc tam sunt ad luctam, contra cacodæmonem aut Mundum, ineundam imbecilles. Hinc adeò parum, pro Religione laborant. Hinc castra & signa Ecclesiæ tam faciliè deserunt, & qui pro Catholicis stare debuerant, sunt primi hæreticorum defensores. In Nouato Exemplum recenset Eusebius & Nicephorus. Is, in morbo, baptismo tinctus, post morbum, supersedit Confirmatione signari. Quare, persecutionis tempore, metu victus, presbyterum se negavit. Negatis, ô fatui, Christum; quouis periculo terimini; quia à Deo oleum, & Spiritus sancti vnctionem non flagitatis. Apud vos ergo Christus & oleum & operam perdidit, frustra pro vobis passus, frustra Confirmationis Sacramento vim passionis & sanguinis sui largitus.